

DE
HYPOTHECA FEVDALI PRAECIPVA
SECVRITATE COMMENDABILI

1782 13^a

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
QVAM
PRAESIDE
IOANNE CAROLO GEBHARDO
REINHARDO D.

PROFESSORE IVRIS FEVDALIS CVRIAЕ PROVIN-
CIALIS LVSATIAE INFERIORIS ET ORDINIS IVRE-
CONSVLTORVM VITEB. ASSESSORE ORDIN.

PRO
OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE VTROQVE
HONORIBVS
H. L. Q. C.
DIE XXVII. IVN. A. R. S. CI^oI^oCCLXXXII.

PVBLINE TVEBITVR
CAROLVS CHRISTIANVS RICHTER
MISNENSIS.
CAND. IVRIS VTRIVSQUE

WITTEBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO
DE WIRMB,

DOMINO ET DYNASTÆ IN GROSSEN - FVRRA
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS SANCTIO
RIS ADMISSIONIS MINISTRO ET COMITI CONSISTO
RIANO COLLEGII REGVNDIS REBV S OECONOMIAE
ET COMMERCIORVM PRAESIDI ORDINIS IMPERIALIS S.
JOSEPHI EQVITI COMMENDATORI

LITTERARVM STATORI MAXIMO
P A T R O N O . O P T E X M O
S V M M A P I E T A T E
C O L E N D O .

ILLVSTRISSIME DOMINE,

*G*um aegre fieri posse animaduerterem, vt
eiusmodi libelli, qui vel ornamenti vel com-
mendationis gratia insignium Virorum nomina
in fronte gerunt, vanitatis aut adulationis su-
spicionem effugerent, manum aliquandiu subti-
mide ab hoc conatu abstinui. Sed postquam
mentem subiit immortalium, quibus TIBI me
totum, ILLVSTRISSIME, deuinxisti, beneficio-
rum recordatio, simulque mecum reputauit, vni-
cam fere hanc, aut certe inter rarissimas esse

occa-

occasionem, qua tam manifeſte ac libere ple-
nissimam pietatem profiteri liceret, malui alia
omnia videri, quam sanctissimo officio non fa-
tisfacere. Accipe igitur ea, qua ſolitus es, in-
dulgentia literarium hoc ſpecimen deuotissimae
mentis, aeternaque obſeruantiae pignus et in-
dicium, meque in poſterum grauiffimi TVI pa-
trocinii ne dedignare. Ego vero indefeffus vota
concipiam candidiſſima pro incolumitate TVA
reipublicae neceſſaria mihi peroptabili.

NOMINIS TVI EXCELLENTISSIMI

Vitembergae,

d. XX. Iun.

clccclxxxii.

cliens addiſſimus

CAROLVS CHRISTIANVS
RICHTERVS.



DE HYPOTHECA FEVDALI PRAE- CIPVA SECVRITATE COMMENDABILI

§. I.

St nostra memoria mortalia pectora cogit auri sacra fames. Turbat saepenumero diuitium animos cura foenoris. Sciunt opes cistis repressas non augeri, sed quotidie vtendo diminui, et sic die noctuque tantam esse morum prauitatem, ut periculi hodie vix sint pretium usurae^{a)}), que runtur.

^{a)} Ita interdum in LL. vocantur non inepte usurae l. 5. D. de nautico foenore l. 12. C. de usuris.

A

runtur. Sic malunt has sumosas principum imagines custodire sepultas, quam illas commercio atque usui publico restituere, in verbis Horatii forte solarium quaerentes:

*Vtar, et ex modicis quantum res posset avarus
Tollam, nec metuam, quod de me indicet heres
Quod non plura datis inuenerit.*

Operae pretium esse arbitror, hominibus nimium prouidis euellere scrupulos et ita captiuos miseros vindicare in libertatem. Abhorrent in primis haud pauci, ut vetula spectra et testamentum, omne, quod feudum olet; hunc nexum rati, tot tricis implicitum securitati creditorum parum esse propitium. Somniant flebilem fortis cum usuris iacturam, nulla ratione iure freti reali, quod obtulerat egens aeris praedii feudalis possessor. Dissipandi sunt hi terrores magici, haec Thessala portenta, quae tantum animos occupant rei entelaris ignaros.

§. II.

Acturo de hypothecae feudalis praestantia, tot se offrunt securitatis argumenta, ut ne omnia, sed praecipua tantum enumerare per instituti angustos fines licet. Est hypotheca ius in re aliena in securitatem crediti sola pactione constitutum. Quo firmorem igitur hoc ius creditor i praebet securitatem, eo praestantius procul dubio est et commendabilius. Securitas enim creditoris est primus negotii finis.

finis. Supponit hypotheca, ut reliquae conuentiones acceſſoriae, obligationem principalem. Huius correlatum est ius exigendi. Hocce ius exigendi quo efficacius est, eo plenior est securitas. Sed melius determinanda est rei notio. Dif- plicet securitatem vocare absentiam periculi. Sic enim praeterquam quod negationem continet descriptio, in tanta re- rum humanarum fragilitate, vix villa daretur securitas.^{a)} Est potius summa probabilitas habendi, quod in obligatione est. Vires humanas excedit euentus plena certitudo. Ambigua res est cambium et saepius ob alimenta et sumitus carceris subministrandos, flebile creditorum beneficium. Hoc rigo- re nec mortuus potest compelli, neque inopia debitoris mala hac mansione corrigi.^{b)} Dura praeterea atque immanis est miseri debitoris, honesti saepius, sed spe falsa ducti persecutio et duarum rerum exoritur optio, vel illud, quod credideris, perdas, vel illum amicum amiseris.^{c)} Nec maius robur in- est fideiūſſioni, vel si maius constituto, persona enim ne- cui accedens aequē potest bonis labi atque ipse debitor prin- cipalis, nec prodest multitudo sed habilitas debitorum. De- nique pignori tradito, quod pignus depositum vocat Paulus.^{d)} haud parum inest periculi. Ut taceam, non raro res alienas pignori tradi et postea a vero vindicari domino, pignus

A 2

potest

^{a)} Plautus in Triummo Actu IV. Scen. III. v. 46 seq.

^{b)} Receptis sent. Lib. II. Tit. IV. & V.

poteſt perire, a furibus et latronibus auferri et ita euerti ſpes
omnis ſecuritatis.

§. III.

Palmam profecto omnibus praeripit ſuppoſitio, illud
praetoris romani beneficium. Non enim ſolum iſtam cu-
ſtodiae moleſtiam atque administrationis non habet adiunctam,
verum etiam non tam anguſtis praescriptionis, ut cambium,
finibus eſt circumscripta, tantisque legum praecipue domesti-
carum beneficiiſ adaucta, ut haec creditorum probabilitas,
habendi quod debetur, proxime accedat ad certitudinem, ſed
quomodo, quaeſo, hoc paclum praetorium irrepſit in ius
clientelare? Nonne ab hiſce fōrdibus peregrinis repurganda
eſt haec disciplina origine Germanica? Certo certius eſt, hoc-
ce ius in infantia feudorum Germanos ignorasse, quorum ſimi-
plicitati parum repondebat creditoris ſine poſſeffione, immo
ſine dominio, ſecuritas.⁴⁾ Arrogauit vero ius Germanicum
recentius, poſquam leges peregrinae ius ciuitatis ſunt con-
ſecutæ, et hanc praetoris romani filiam. Contigerat forte
Vafallis illa Theleſini reſponſio:

*Cum rogo te nummos ſine pignore. Non habeo inquis.
Idem, ſi pro me ſpondet agellus, habes!*

Quod

⁴⁾ Heineccius El. I. G. Lib. II. Tit. XI. Schilter ad Ius Alem. Cap.
XXVI. §. I.

*Quod mihi non credis, veteri Thelafine sodali
Credis colliculis, arboribusque meis. *)*

Sic initio Vasallorum necessitas atque inopia nummorum, quae saepius ditissimos premit, consuetudinem peperit hypothecis sibi fidem parandi, qui quidem sensim paullatimque mos legibus patriis stabilitus, et ut ne nimium noceat personis nexu feudali comprehensis, ad iustos redactus est limites. Usum hunc hypothecarum in feudis, quantumuis ineptam iuris romani admixtionem feram moleste, non improbo. Reapse enim non Iure Romano res est subnixa, sed noua consuetudine et legibus recentioribus, imo nexus feudalem proprie non tangit, cum nec creditor huic accedat, nec personis hoc vinculo iunctis damnum inferatur inuitis.

§. IV.

Tristissima plerumque est creditorum conditio, debitor si bonis lapsus incidit in concursum. Recuperant enim saepius vel parum vel nihil, immo praeterea haud raro sumtus erogant ob spem penitus inanem. Coereuerunt quidem admodum seuere decoctorum fraudem Electores Saxoniae, adiunni, cum priscis Romanis apud Gellium^{f)} rati, subsidium hoc inopiae temporariae, quo communis omnium vita indiget,

A 3

*) Martialis Libr. II. epigr. XXV.

f) Noct. Attic. Lib. XX. Cap. 1.

si perfidia debitorum sine graui poena eluderet.^{g)} Sed nec ultimum supplicium, aquiparantur enim pro gradu malitiae, suribus, neque ergastulum, neque opus publicum, neque infamia, nec flauus pileus, nec muneris dispendium, nec sepultura inhonesta huic reipublicae pesti obicem plane posuere, id quod frequentia edictalium, quas publice legimus, docet. Ecce haud exigua hypothecae feudalis praerogatiua. Rariores sane sunt vasallorum concursus. Non enim tantum poenarum communium ignominia homines melius plerumque educatos et quibus ab ephebis infusa est ambitio, (loquor nimirum de possessoribus feudorum nobilium,) magis continet iu obsequio, verum etiam propria vasallorum obaeratorum calamitas dilapidationis rabiem cohibet. Vasallo enim ad concursum prouocanti, vel iudicio hoc vniuersali emissis edictibus alia ex caufsa vere existente, inuestiture renouatio, quam quidem in scriptis efflagitet necesse est, durante impedimento, denegatur^{h)} atque ipse perinde atque is, qui in turpi versatur inquisitione, a comitiis, si in iis comparendi gaudet facultate, arcetur. Sed fortius frenum positum est vasallorum prodigalitati per ipsam hypothecarum difficultatem. Sufficit in allodio solus iudicis in hypothecam consensu. Hic, qui

g) Mandat wider die Banqueroutiers d. 7. Ian. MDCCXXIV. et de 20. Dec. MDCCCLXVI. et praeципue d. 11. Mart. MDCXXX. quo Serenissimus vel casu lapsis decreuit officii amissionem et degradationem.

h) Lehns-Mandat d. 30. April 1764. Tit. I. §. II.

qui interdum expensas sitit, admodum pronus est ad consen-
tiendum, et haec iudicis facilitas creditores foenoris studio-
fos allicit, debitores ad augendum aes alienum inuitat et sic
haud raro calamitati vtriusque contrahentis facem praefert.
At enim vero in feudo quot impedimenta? Domini et vi-
ginti forte simul inuestitorum impetrandus est assensus. Eo-
rum omnium maxime interest, ne beneficium nimis debitibus
oneretur realibus. Hinc tot nonnunquam sunt dissentientes,
quot sunt simul inuestiti, per litteras reuersales ad consen-
tiendum non addicti. Vel etiam plerique simul inuestiti,
vel omnes si consenserint, vera hypotheca in feudo, nisi do-
minus consentiat, non acquiritur. Neque enim in re, quae
omnes similiter tangit, pluralitas suffragiorum prodest, ne-
que, quantumuis ex beneficio iuris Saxonici Electoralis,³⁾ si-
mul inuestitus consentiens feudo deuoluto ex fructibus credi-
tori facere satis obstringatur, verum ius reale feudum afficit.
Quae cum ita sint, nec datur creditori actio hypothecaria,
neque luctuosam creditorum communium classem superat.
Concessit quidem Serenissimus Elector curiis feudalibus con-
sensum in oppignorationem feudorum aperturae non proximo-
rum.⁴⁾ Sed finge, non ipsi territorii domino subesse, vel
duo non esse superstites inuestitura comprehensos, in quos ca-
dat spes sibi procreandae, vel vnicum ex coniuncta manu
diffen-

³⁾ Decis. Elect. LXVII.

⁴⁾ Lehns-Mandat de Ao. 1764. Tit. 17. §. 1. & 3.

dissentire, praedium feudale hypothecae non redditur obnoxium.

§. V.

Sed iam anquirendum est, quae sit, si vasallo ad incitas redacto, de distribuendis eius bonis sit quaestio, hypothecae feudalis virtus. Constat inter omnes, in Saxonia hodie tres fieri creditorum classes generales, usque docet, corpus bonorum allodialium interdum vix ad satisfaciendos credidores praerogatiua munitos sufficere, neque classem attingere secundam. Flebilis haec hypothecariorum' conditio, quae quidem fateor, rarius, tunc praecipue contingit, si vel debitorum primae classis ingens est moles, vel si pretium obiecti hypothecae vel dolo culpaue debitoris, vel casu admodum est deminutum. Vtraque huius calamitatis caussa in hypotheca feudali vix poterit adesse. Creditoribus enim iure recentiori,¹⁾ vel summo priuilegio exornatis non satisfit ex substantia feudi, nisi quatenus nomina vere feudalia sint professi. Non abs re esse arbitror, si quae credita praerogatiua gaudentia ex pretio feudo redacto aliquid percipient, dispiciamus. Constituitur, feudum si ad bona distrahenda pertinet, duplex quasi bonorum corpus. Alterum debitibus feudalibus, vel pure, vel in subsidium, deficiente scilicet allodio, alterum reliquis creditoribus destinatum. Ex illo, quod pretium ex feudo

D O. R. ad Tit. XL. §. 3. et ad Tit. XLV. §. 6..

feudo redactum constituit, et quidem extra classes in sententia locatoria determinatas ideoque sine onere expensarum exsoluenda esse debita, quorum mentionem facit sanctio Potentissimi de Anno MDCCXLVIII. §. 4. vix potest esse dubium, addita tamen hac limitatione, ut expensae sequestrationis in utilitatem massae allodialis erogatae et sumtus depositionis hoc pertinentes, itemque aestimatio monetae melioris valoris interni das Agio intuitu nominis allodialis, substantiam feudi non tangat. Intuitu sumtuum concursus iura ratione debiti feudalis non discrepant, sed certissimum est, hos, quantum non a singulis ferendi, creditoribus omnis generis pro rata summae, quam percipiunt, detrahi. Ecce fere unicum hypothecae feudalis periculum, exiguum prosector, si hunc euentum non frequentem, et fortè plerumque cum viuris saluam esse, consideras. Ad massam feudalem non pertinet debitum, tempore hostilis irruptionis ad contributionem soluendam contractum, nisi ipsum feudum ita fuerit ab interitu et deuastatione liberatum, nec semina tempore charae annoe mutuo data, neque sumtus funeris nisi hi forte in subfundium, nec fostrum medici et chirurgi, neque alimenta moribundo debitori subministrata, nec merces famulorum, neque denique onera, si excipias ea, quae per Dec. Elect. XXXII. ex feudo sunt soluenda. ^{m)}) Haec enim debita pleraque omnia

m) O. R. Tit. XLV. §. 6.

omnia magis in utilitatem vasalli, quam feudi contracta, inter feudalia locum non occupant¹⁾) adeoque a pretio feudi merito excluduntur. Nomina e contrario, quae feudum affectere, antequam vasallus illud acquisierit, et residuum pretium, rite nimirum reseruato dominio vel hypotheca, quo et nomina in partem pretii non soluti suscepta referas, procul dubio massam feudalem tangunt, ita tamen, ut ipsis, quatenus debitor personaliter simul est obstrictus, locus inter chirographarios affignetur. Ecce subtilitatem plerumque otiosam! Vix enim metuendum est, ut ne venditori loco hoc eminentiori satisfiat.

§. VI.

Turbat non nunquam, ut diximus, in allodio hypothecae securitatem fundi deterioratio oppignorati, siue casu, siue malitia culpaue possessoris contingens. Haec vix tanta in feudo est metuenda, ut creditor iude immineat periculum. Beneficia rarius in vnica domo vel in aliquot iugeribus agri, sed plerumque in amplis praediis consistunt. Hinc nec incendia et ruinae, nec fluminum iniuriae atque tempestatis, neque ipsa pretii deminutio, quod saepius in aedibus cum flore urbis mirifice decrescit, creditoribus, ut plurimum, nocet, neque etiam dolus, vel negligentia vasalli his potest esse molesta. Abstinendum enim est beneficii possessori, nisi ve-

¹⁾ *Const. Elect. XLVI. P. II. Q. R. ad Tit. XL. §. 3,*

lit tandem ipso priuari, ab insigni praedii deterioratione ^{o).} Tuttus igitur est creditor, per ipsum domini directi et simul inuestitorum commodum. His enim ipsis curae cordique est, impedire, quo minus ipsis aperturae vel successionis structus eripiatur vel imminuatur. Neque igitur silvas deuastando, nec faciem fundi perperam mutando, nec seruitutes passiuas constituendo, nec partem feudi alienando, praedium detersius reddere, saltim creditori hypothecario damnum inferre potest vasallus. Ac ne cui forte, hoc transactione et subinfeudatione imo et compromisso in arbitrum, hisce enim iuribus vel inconsulto domino ex plerorumque sententia pollet, fieri posse videatur, certo certius est, hypothecam eeu ius individuum et partem feudo ita forte abreptam afficere.

§. VII.

Redeo ad concursum, hydram multorum capitum. Inter mala prope necessaria pertinent hypothecae tacitae. Susstulerat illas potentissimus Legislator ^{p)} addita ratione, weil dadurch groÙe Gefahrde und besonders bey Concursibus creditorum groÙer Alufenthalt verursachet worden. Certissimum est, nihil plus asserre periculi, quam pignus illud legale. Et enim de hypothecis expressis publice constat et creditores,

B 2

quanto

^{o)} II. F. 8. §. deteriorem. II. F. 27. §. 7.

^{p)} O. R. ad Tit. XLV.

quanto quisque fundus onere sit affectus, facillime sibi possunt parare notitiam. Non enim sine domini directi vel iudicis consensu potest impetrari hypotheca expressa, et ita illarum series ex libris consensualibus haud difficulter addiscitur. Sed ecquis poterit omnia debitorum vincula explorare, quibus forte hypotheca legalis fuerit contracta? Indulgent leges haud paucis hoc ius singulare, et, quae olim sublatae erant, ob caussae vel personarum fauorem, restauratae sunt in Saxonia, si excipias illam legatariorum et annuorum reddituum, omnes. Quae cum ita sint, interdum euenit, ut, cum hypothecariis pro iuris realis vetustate locus tribuatur, hypothecis tacitis antiquioribus bona debitoris ita exhaustantur, ut expressis recentioribus restitutionis obiectum desit. Eximum igitur hypothecae feudalis praesidium quaerendum est in hypothecae tacitae in beneficiis defectu. Expeditissimi enim iuris est, hypothecas legales seudi substantiam non afficeri, nisi quatenus leges prouinciales hoc beneficium certo ordini indulserint. Ignorat ius Longobardicum tacitas; ignorat illas ius Germanicum antiquum atque extra omnem dubitationis aleam positum est, illa bona, quae expressae ob ius tertii non sint obnoxia, ut fideicommissum familiae et seendum, per tacitas non affici. Sic exulant iure Saxonico tacitae pleraque intuitu seudi ^{et} dedit tamen ordinatio vetus per Generale supra laudatum de Ao. MDCCXXXIV. in usum

reuo-

q) O. V. Tit. XLV. §. 8.

reuocata, hoc ius certa ratione vxoribus, ob dotem repetendam, ob illam constituendam, sororibus vasalli, et pupil lis atque minoribus piisque corporibus in feudo administratorum.

§. VIII

Hoc, quo ius Saxonum vxores filiasque vasalli atque pupilos exornat, beneficium, hypothecae expressae parum afferre periculi, paucis demonstrabimus. Initio hae conditiones non adeo latent, vt creditorem possint fugere prouidum. Facile exploratu est, num vasallus vxorem duxerit, an filias reliquerit antecessor dotis capaces, an vnquam administrationem gesserit piae caussae, vel ab ipso domino tutor datus vel curator. Non enim quod ad postremum feuda tutorum omnium, sed tantum a domino directo constitutorum tacite oppignorantur *). Sic rarius notitia harum rerum deest curiae. Plerumque enim dotem vxoris quod attinet, pacta illis dotalia exhibentur, vel ab his, antequam consensus impertiatur, in harum rerum omnium veritatem sedulo inquiritur adeoque hypothecae sponte prospicitur abunde. Computantur enim tunc semper debita realia, et in hoc negotio dotis vxoriae ratio habetur *). Nec metuendum est curias, nimio onere affici beneficium, esse passuras. Sunt

r) O. V. Tit. XLV. §. 14.

⁵⁾ Lehns-Mand. de ao. 1764. Tit. VI. §. I.

praeterea haec omnia debita coorto concursu solummodo in
subsidiū, id est, exhausto allodio, feudalia¹⁾. Acriter hac
in re notat ius Saxonum Petrus a Ludwig.²⁾ illud et iniqui-
tatis et antinomiae arguens. Displacet ipſi et mutuum do-
tandae filiae cauſa contractum per Const. 46. P. II. esse de-
bitum feudale absolute tale, et simul per O. V. Tit. XLV.
§. 13. dotationem fororum solummodo onus feudi subsidia-
rium esse. Stupent, inquit, ad hanc constitutionem ipſi
iureconsulti Saxones. Nam hac ratione quilibet pater
agnatos suos ad dotem filiabus etiam allodii ditissimis ex
feudo solumdam potest obligare, suo quodammodo arbit-
ratu, cum tamen iure electorali quoque dos tum demum
ex feudo debeatur, si illa nequeat haberi vel expectari ex
allodio. Sed haec portenta edere solet in lucem intempe-
ſiuā ac rationibus beneficiarii iuris aduersa commisera-
tio. Id dicendum est, cum iuris Augustei diuersi fuerint
scriptores, mirum non est, illud quandoque non con-
flare. Miror equidem, sane has sanctiones optime cohae-
rentes viro alias acutissimo bilem mouisse. Quaenam
enim sunt illae rationes iuris beneficiarii, quibus constitutio
Augusti esset tam inimica? Sunt, sic ipſe loquitur³⁾, in-
ſtituta Longobardorum, quae successorem feudi tiberant

cum

1) Conf. Conf. El. 25. P. II. et O. V. Tit. XLV. §. II. 13. et 14.

2) Libr. II. Opusc. IV. Diff. II. not. dd.

3) Ibid. not. cc.

cum a dote, tum ab alimentis filiabus praestandis, et
 haec esse naturae et beneficiarii iuris rationibus con-
 cinnia. Nam ita pergit, liberum debet esse ab omni
 onere feudum, cum vasalli causa, ne pauper minori ser-
 uiat apparatu, tum domini, ut redditus feudi maiores eo
 etiam alacriorem reddant vasallum, ad probandum do-
 mino genera officiorum quaevis. Vtrumque, si quid video,
 spectat ad domini fauorem, et huic fauori hodie prope ima-
 ginario non potuit renunciare Augustus Elector? Adstrictus
 fuit ad fatua iuris Longobardici principia! ac si non potuisset
 totum illud ius asinimum et vulgare sine nota, vna litura in-
 ducere. Placuit ipsi nomen ad dotandam filiam contractum
 pro debito feudali declarare absolute tali. Non video, cur
 hoc solatium filiae a successione exclusae sit inuidendum;
 cur lucrum agnatorum ex defectu sobolis masculae profectum
 non potuerit temperare aliquantis per Legislator Augustus.
 Quod porro ad antinomiam attinet, illa, quod plerumque sit
 legibus penitus inspectis, prorsus in sumum abit. Diuersae
 leges diuersum ponunt casum. Loquitur constitutio de aere
 alieno a patre ob dotem filiabus praestandam contracto, ex-
 tra concursum restituendo. Norma processus veteris de iure
 fororum in concursu agit fratris. Illud onus constituitur
 successoris singularis et liberatur ab ipso heres; hoc vero in
 concursu scilicet esse ius reale subsidiarium, appetet. Sed
 da veniam, beneuole lector, digressioni, redeo ad scopum.

Stat

Stat igitur sententia, hypothecas tacitas in concursu mere esse subsidiarias, et hanc restrictionem hypothecae feudali admidum esse proficiam, quis est, qui non videat? Haud raro enim sufficit tacitis alledium, et sic substantia seudi expressis, immo saepius successori feudali manet salua atque intacta. Addo communem hypothecae expressae tam feudalism, quam allodialis prerogativam. Possunt nimurum creditores has adhuc intra annum a die liquidationis, nisi interrim classificatoria vires rei iudicatae sit adepta, ad concursum profiteri, quod quidem beneficium ad tacitas non potest extendi^{y)}.

§. IX.

Auget porro securitatem, quam hypotheca in feudo praebet, difficultas impetrandi executionem in substantiam praedii feudalis hodierna. Poterat olim^{z)} vel ex officio, vel ad preces victoris iure reali in feudo destituti, executio decerni non in fructus solum, verum etiam in ipsum dominium; imo nisi a curia restringeretur, ad fructus executio in genere concessa, tribuebat pignus in feudo iudiciale. Attamen expressae hypothecae eatus erat prospectum, ut executio, non nisi salvo eius iure, et adeo esset concedenda, ut vel in possessionem immisus creditor i expressa munito hypotheca statim cedere, vel a momento, quo ab

y) Rescriptum ad Dicast. de 10. Sept. 1733.

z) O. V. Tit. XL. §. 1.

ab hoc exacta esset traditio, omnes fructus, ut malae fidei possessor deberet restituere ^{a)}). Sed haec fere omnia hodie in melius sunt mutata ^{b)}). Non enim potest sine ipsius Serenissimi Domini directi praescitu, ob debitum allodiale executio fieri in ipsam feudi substantiam, cum e contrario ob hypothecam feudalem omnes actus executiui, vel inuitis simul inuestitis, facillimo negotio impetrantur, et si aperiatur concursus, usuriae triennio non antiquiores, nisi consensus ad sortem sit restrictus, ex fructibus feudi exhibeantur. Sic curiae prouinciales ^{c)} ne in fructus quidem feudi peragendam possunt executionem pro arbitrio committere, sed aut debent antea ad summum Principem referre, aut victorem data copia sententiae, quae vires rei iudicatae facta est, vidimata, ad curiam feudalem alegare. Euitantur igitur hac ipsa difficultate haud raro sequestrations, quae praediorum possessores plerumque redigunt ad summam inopiam, cum ita creditores malint aliud designare executionis obiectum. Quemadmodum vero ipsa in feuda sine consensu summi domini directi, ob nomen allodiale executio, ita procul dubio agnitio executionis pro realiter facta, inconsulto domino, nullum ius tribueret in praedio feudali reale. Ex his omnibus pro-

no

a) O. V. ibid. §. 5.

b) O. R. ad Tit. XL. §. 1.

c) Rescriptum dd 23 April. 1749. et 9 Aug. 1780.

C

no alueo fuit, intuitu seudi pauciores semper concurrere creditores, adeoque illud his non sufficere, vix vlla superest suspicio.

§. X.

Feudum saepius pertinentes fundos habet adiunctos. Hac pertinentiae, vt technice loquar, vel sunt feudi, id est nexus feudali exemptae, vel feudales, qualitatem scilicet feudalem habentes. Licebat olim vasallis, praedia allodia, quae illorum subeferent iurisdictioni patrimoniali, coram proprio iudicio, sine discriminē oppignorare. Haec hypotheca cum possit eo casu, si fundus principalis cum accessorio uno pretio comparatus, iuri reali consensu domini directi nixo afferre detrimentum, hoc vasallorum priuilegium ita est restrictum, vt nisi vel allodium separatim, vel saltim peculiari pretio acquisitum, vel a curia simul consensus in oppignorationem impetratus, illo careat effectu, cum e contrario hypotheca consensu domini directi munita non feendum solum ipsum, sed et allodium uno pretio acquisitum afficiat ^{e)}). Ut porro eo melius securitati hypothecae expressae posset confundi, lege recentiori^{f)} sanctum legitur, non debere contractum ullum de dominio utili transferendo confirmari, nisi pretium praedii principalis et si qua adsit pertinencia

e) Lehrs-Mand. de ao. 1764. Tit. VI, §. 2. Generale de 6 Jun. 1772.

f) Lehrs-Mand. ibid. §. 5.

nentia feudalis ab alia recognoscenda curia, accurate indicetur, neque inquam, non demonstrato pretio fundi accessorii et quanto, intuitu cuius sit oppignoratus, in ius reale consentiri.

§. XII.

Per gradationem ad summum tandem hypothecae feudalis robur transgredimur. Iam olim viguit mos ^{g)} a domino denegari consensum, vasallus si vellet ultra bessem pretii feudum oppignorare. Ratio erat prima, ne consolidationis fructus plane euanesceret, altera, ne vel deterioratio, vel maius alicuius nominis priuilegium plenam hypothecae adimeret securitatem. Haec forma et hodie a iudice in oppignorationem allodii consentiente est obseruanda, adeo, vt si in iusto maius consenserit debitum, ad damnum creditori resarcendum obstrictus sit. Solent interdum iudices, improbo fraudem, creditores certiores reddere de fundo iam nimis hypothecis obnoxio, imo sub conditione renunciations actionis, quam vocant, subsidiariae in hypothecas nouas easque bessem superantes consentire. Noua lege hunc modum improbum atque pernicioſissimum coercendum esse arbitror. Etenim oppido ille ansam praebet dilapidationi et tam creditoris calamitati, quam ipsius miseri debitoris et benevolam legis sanctionem turpiter euerit. Et ille quadrans pretii

C 2

ab

g) Horn. Ipr. feud. cap. XIX. §. 5.

ab onere hypothecae immunis num semper plenam dabit securitatem? Certe in allodio, ob hypothecarum tacitarum et nominum praerogativa gaudentium frequentiam, ob deteriorationes vel nullis vel paucis saltim limitibus circumscriptam, non semper. Sufficeret forte in feudo. Sed ecce firmitor adhuc initio huius seculi hypothecae feudali conciliata securitas. Cautum enim est a summo legislatore ^{b)}, ne facile ultra dimidiam pretii partem curia in hypothecas consensiat, et qui olim difficulter impetrabatur consensus in oppositionationem ultra semissim aestimationis, hodie semper denegatur ⁱ⁾. Sic in eo later adhuc maior restrictio, ut nimurum pretium aestimandum sit ex recentissimo instrumento venditionis vel diuisionis, vel his deficientibus, ex determinatione pretii occasione nouissimae inuestiturae. Rariores enim sunt feudorum venditiones, et sic ultima saepius incidunt in illa tempora, quibus praediorum pretia essent vilissima. Sic et pretium diuisionis, cum hae plerumque contingant inter fratres vel agnatos, rarius veram aestimationem attingit, neque, ut occasione inuestiturae pretium iusto minus indicetur, metuendum vix est, cum ex illo laudemii minoris quantitas et expensae feudales normam accipient. Praeterea, antequam consensus a curia in nouam hypothecam im-

pertia-

^{b)} Resolution an die hohe Landes-Negierung vom 17 April 1700. C. A. T. I. p. 1075. it. Lehns-Mand. de 1764. Tit. VI. §. 1.

ⁱ⁾ Lehns-Mand. de ao. 1764. Tit. VI. §. 1.

pertinet, accurate in aeris alieni feudalis summam inquiritur. In censum veniunt non debita solum praerogativa munita, quatenus perspici possunt, pleraque debita, tempore antecessorum feudo imposita, residuum pretium et quae sunt reliqua, sed tacitarum quoque hypothecarum, quatenus fieri potest, habetur ratio. Ita dos more antiquitus recepto ⁴⁾, pro quadruplici debito ob quadruplicatas usuras computatur.

§. XII.

Contingit tamen interdum, cum hodie decipere decipique fere seculum vocetur, ut homines spe lucri impii ducti, incident in concursum. Non desunt exempla improborum, qui ficto aere alieno ingenti, praecipue lautissima vxoris dote, post transigendo cum creditoribus, tantum turpiter sibi parunt lucrum, ut locum teneant inter locupletiores. Quid si igitur fraudulenter feudi emtor iusto maius pretium simulet, quid, si forte e contrario venditoris fraude inductus vere pretium enorme promiserit, quid si vasallus fundos, quibus pretium olim esset luculenter auctum, alienauerit, vel inopinata deterioratione illius aestimatio adeo deminuta, ut creditores consensu vel ad semissem restricto incurvant periculum. Et his calamitatibus iuit obuiam Legislator summe prouidus ¹⁾. Per aestimationem summa cura instituendam pretium tunc

C 3

feudi

4) Lehns-Mand. ibid.

1) Generale wegen gerichtlicher Taxation d. 6 Jun. 1772.

feudi iustum indagandum, nec metuendum est, ne taxatorum malitia vel negligentia fallax indicetur, cum ipsos damnum creditoribus, si forte limites transilierint, contractum resarcire oporteat. Hoc taxationis beneficium, casu inuerso non denegatur quidem, ut reliquis praediorum possessoribus, vasallis, ita tamen ad iustos fines redactum est, ut hodie vix vllum inde creditoribus immineat detrimentum. Non enim solum vel fauori taxatorum, vel eorum imperitiae obex positus et sancitum est, ut ne aestimatio debeat arbitriis nisi principiis, potius ita instituenda sit, ut pretium, quo praedia pro temporis ratione comparari soleant, habeat pro scopo, sed etiam possessoribus non pro Iubitu ad hocce remedium augendi praedii pretium licet configere. Non enim datur eius copia, nisi fundus saltim per seculi dimidium a gente quadam sit possessus, neque vnquam interim venditus, neque aestimatus, adeo ut de pretio vel plâne non constet, vel illud sit tempori consentaneo oppido inferius, vel etiam, fructus praedii post eius acquisitionem insigniter esse auctos, per iuratuum duorum vicinorum praediorum, possessorum rei agrariae peritorum demonstretur testimonium. Denique ut omnis creditoribus admatur suspicio, hi ipsi et de pretio antiquiore per aestimationem aucto, (ita sanxit pater patriae optimus,) sunt certiores reddendi, eorumque ante consensum mens, num velint in eo acquiescere, debet explorari.

§. XIII.

§. XIII.

Et haec quidem sunt praecipua praefidia, quibus firmantur hypothecae feudales, quae quidem possunt neruum rerum gerendarum e latebris producere in lucem. Sed hominibus nimium cauris, ceu surdis narratur fabula. Addenda sunt fortiora vincula, plures cautiones, alias indissolubilis fere auari cum flauis amicis vix disiungitur societas. Tot propugnaculis si te nondum credis satis tutum, dans veniam imbecillitati tuae, sequentes adhuc commendo diligentias.

Noli negligere intercessionem vxoris, quae dotem posset ex feudo repetere, vel eligere dotalitium, imo omnium eorum, quibus leges indulgent praerogatiuam, et occupabis eorum locum. Accipe, dum dolet. Valfallus, quem necessitas premit, omnem mouebit lapidem, vt tibi hanc efficiat securitatem. Adde hypothecae alia adminicula, cambium, pignus manuale, fideiussores et praeter vnicum secundum plures fundos redde hypothecae obnoxios. Hunc securitatis cumulum leges ^{m)}) tolerant, verecundia prope abhorret. Cura consensum non ad fortem restringi, alias residuae vsuriae in concursu non nisi post omnes sortes, exsolui possunt. Fac, hypothecam ad expensas extendi. Sic sumitus litis, excipe in iudicio vniuersali erogatos; horum iacturam semper facies, eadem classe, qua fortem recuperas.

Noli

^{m)} O. R. ad Tit. XLIV. §. 2.

Noli fidere hypothecae cessae sine nouo domini directi in translationem consensu, si vis iure reali tutus esse ⁿ⁾). Morosum in exsoluendis vsuris debitorem ante trienni lapsum, compelle. Triennio antiquiores ob negligentiam supinam, in concursu Vasalli post omnes demum sortes, ita vix vinquam, habebis. Cae, ne domini consensus ad certum tempus restringatur, vel clausula cassatoria inferatur expresse, vel, hoc nisi possis euitare, ante lapsum huius termini, actionem moue vel a Domino impetra dilationem. Clausula vero reseruatoria in Saxonia usitatissima, consensum quamvis ad tempus aliquod adstrictum, perpetuat ^{v)} ideoque creditori tantum abest ut sit nocua, ut potius ipsi sit saluberrima.

§. XIV.

His meditationibus leuibus, ab omni lepore atque elegantia alienis, non tamen ob quotidianum ipsius rei usum plane suppressimendis, coronidis loco addo responsum a Iureconsultis Vitebergensibus mense Octobri Anno MDCCCLXXII. ita elaboratum: *Statui cauffae et legibus consentaneum esse arbitramur. Quamvis omnino in tanta rerum humana- rum lubricitate fragilitateque vix illa ratione creditoribus plena parari securitas queat, adeo, ut si nobis summo studio et solertia prospexisse videamur, interdum spei no-*

stræ

ⁿ⁾ O. R. ad Tit. XLVI. §. 2.

^{v)} Dec. El. XXXI.

strae euentus haud respondent, potius ob calamitates plau-
ni inopinatas, incordia, terrae motus et bellicas ruinas,
crediti nostri faciamus iacturam, praecipue vero id haud
raro contingat, vt si forte vel honestissimis, exadmissimis,
imo summa dinitiarum fama insignibus debitoribus pecu-
niam nostram dederimus mutuo, nihil secius illos ad in-
opiam et incitas redactos bonis labi videamus, quo qui-
dem facta, si sortem servare magnisque redimere sumti-
bus liccat, usurarum tamen haud exiguam partem dole-
mus deperditam, deinde rei clientelaris imperitis posset
metum incutere, quod praedium hypothecae vinculo desti-
natum nexui feudali possit esse obnoxium, cum inter
omnes constet, vasalli de beneficio dispositionem tantopere
esse restrictam, et iura Domini directi successorumque sin-
gularium tot priuilegiis esse munita, ut sere ab omni cum
cliente de feudo contraatu abstinere, consultius sit. At
enim vero, cum profecto omnis evanesceret publica fides,
omnisque sistaretur numerorum chrys, mercaturae, aliis
que negotiis humanis tam salutaris, si nimis anxii et in-
solitissimis calamitatibus, quibus consulere humana imbe-
cillitas nequit, diffidentes, argentum nostrum maleamus
cisis reprimere, atque otiosum relinquere quam legibus
probatum inde fructum quaerere et aliorum necessitatibus
succurrere, exiguo illud, imo saepius imaginario exponen-
tes pericula, quod quidem effugere nec praefidiis et pro-

D

pugna-

pugnaculis muniti, nec coementes ipsi praedia possimus, praeterea cum tantum absit, ut nexus feudalis creditoribus periculum contrahat, vt potius ille si requisita legibus moribusque probatu adhibeantur, quae accurate satis in specie facti enumerata reperimus, eorum securitatem maxime adiuuet, propterea quod ins taciti pignoris, quod saepius debitorum allodia exhaustit, si excipias uxorum ratione dotis et vidualitii iura, sororum elocationem et debita ex tutorum a domino scilicet directo datorum vel administratorum piarum cauſarum rationibus proſecta ex ſanctione O. V. Tit. XIV. §. 8. seqq. in feudo effatum non habet, imo ideo plus commodi creditoribus hypothecam feudalem habentibus, enascatur, quod fecus atque in allodio onus dimidiā partem aeftimationis excedens nequeat imponi, ideo fere et cum praeterea a curia feudali, antequam conſentiat, ſtatus vasalli paſſiuſ, quaenam ſeendum afficit, ſummo ſtudio explorari ſoleat, creditor feudal hypotheca gaudens, ſi praecipue beneficium ab his hypothecis tacitis immuno eſſe ſciat, et quod omnino commendandum eſt, legalem uxoris vasalli fideiuiſſionem curauerit, ſortem quod attinet, nulla ratione, vel concorſu creditorum coorto aliquid potest detrimenti capere, modo Dominus ne confirmauerit ſolum contrarium, ſed acque ac ſimultanee inueniti, in ins pignoris vere conſenserit, silentio tamen haud praetereundum eſſe censemus, conſen-

consensum Domini triplici modo ad certum tempus restringi, scilicet vel pure, vel adiecta cassatoria, vel denique, ut in Saxonia plerumque fieri solet, reseruatoria clausula, qua nimis elapsso spatio definito, vel Domino, vel cui ab hoc permisum est, liberare hypotheca feudum posse constituitur, quibus prioribus modis certo certius id efficitur, ut, si creditor hocce tempus praeterlati patiatur, neque antea actionem instituat, vel prorogationem a Domino efflagitare negligat, iure excidat reali, cum e contrario sola reseruatoria inserta, lapsus spatii determinati nullum creditor iugnat praeiudicium,

per Dec. El. XXXI. de Ao. MDCLXI. quare, ut creditor probe tenorem instrumenti consensus, verborumque vim atque efficaciam exploret, suadendum est, deinde quoad usuras vinculis in relatione commendatis, quibus sortiora vix poterant cogitari nihil addendum esse censemus, potius sufficere consensum non ad sortem esse restriatum, neque creditorem moram triennio maiorem in illis praestandis admittere putamus, cum mota idcirco actione vel existente concursu, usurae trium annorum immediate antecedentium ex dispositione Ord. Rec. ad Tit. XLVI. §. 3. et ad Tit. L. §. un. cum sorte aequali in-

re censeantur, et creditor pari gaudet praerogativa.
Quae cum ita sint,

omnia, quae antea fuerunt enarrata et in flatu
causae commendata, si rite adhibeantur, tuto
posse creditorem collocare pecuniam, neque ul-
lum, exceptis forte moto concursu exiguis im-
pensis, ipsi imminere periculum
iudicamus, hocque iure utimur.



Wittenberg, Diss., 1781-82



f


sl.

✓ Dn 8



B.I.G.

Black



DE

HYPOTHECA FEVDALI PRAECIPVA
SECVRITATE COMMENDABILI

DISSE²¹RAT¹⁷⁸² T¹³² O IN AVGVRALIS

QVAM
P R A E S I D E

IOANNE CAROLO GEBHARDO
REINHARDO D.

PROFESSORE IVRIS FEVDALIS CVRIA^E PROVIN-
CIALIS LVSATIAE INFERIORIS ET ORDINIS IVRE-
CONSVLTORVM VITEB. ASSESSORE ORDIN.

PRO
OBTINENDIS SVMMIS IN IVRE VTROQVE
HONORIBVS

H. L. Q. C.

DIE XXVII. IVN. A. R. S. CI¹CCLXXXII.

PVBLINE TVEBITVR
CAROLVS CHRISTIANVS RICHTER

MISNENSIS.

CAND. IVRIS VTRIVSQUE

WITTEBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.